

quanquam, vt ait TRANQVILLVS, in cognoscendo & de-
cernendo mira varietate animi esset (^b), mulieribusque admo-
dum deditus, reperimus tamen seuerissime & cum in-
dignatione adeo in libidinosos animadvententem (ⁱ). Qui-
bus omnibus probe consideratis, nescio, an dicendum sit,
eundem hoc Senatusconsulto pudori sexus cauere voluisse,
ne quae deinceps mulieres turpissimo seruitiorum amo-
ri se dederent. Et quamuis dominis quidem in eiusmo-
di feminarum liberarum seruiles amplexus consentientibus
non fiat iniuria, nihilo tamen minus has iisdem non sine
ratione libertas addixisse videtur Senatus. Paucos enim
fuisse, qui sponte consentirent, veri admodum est si-
mile, multo autem plures, qui aut consuetudine, aut alio
quocunque necessitudinis genere mulieri isti eiusue
cognatis iuncti, non auderent obnunciare, quamuis vel
maxime reprobarent seruilem istum abiectumque amo-
rem, quique adeo necessitate quodammodo coacti, dam-
num in seruis inuiti paterentur. Quodsi igitur dicendum
quod res est, videtur certe coniectura illa de qua supra
retulimus, licet elegantissima sit, atque ingeniosissima,
non tamen tantum valere, vt alii palmam praeripiatis,
quae aequae minimum bene, ne dicam melius, consi-
lio reliquarum legum & omnino veterum Romanorum in-
genio conuenit. Quicquid sit, iudicium esto penes
doctiores. Sed ne cui forte iniuriosus videar obtrecta-
tor, silentio praeterire nefas duco, quae ad firmandam
stabiendiisque sententiam suam ab auctore doctissimo
in medium proferuntur argumenta. Is igitur, *Senatum,*

B 2

inquit

sputantem de LL. antiquis ad con-
servandam castitatem c. I. §. 2 seqq.

(b) SVETON. in Claud. cap. 15.
(i) IDEM ibid.